

David Richter


**Christianum Ludovicum I. Ducem Meclenburgicum GI. Mem. In Natali  
Gloriosissimo Serenissimi Ducis & Principis Domini Christiani Ludovici, II. Ducis  
Regnantis Meclenburgici ... Cras V. D. d. 15. Maji, A. 1748. ... Recolebat ...  
Invitabat**

Gustroviae: Fritz, 1748

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832372269>


Druck Freier  Zugang





MLK-9453-(1.)





48

CHRISTIANUM LUDOVICUM I.  
DUCEM MECLENBURGICUM GL. MEM.  
IN NATALI GLORIOSISSIMO SERENIS-  
SIMI DUCIS & PRINCIPIS  
DOMINI  
CHRISTIANI  
LUDOVICI, II.

*Ducis Regnantis Meclenburgici, Principis Vandaliae,  
Sverini & Raceburgi, Comitis item Sverinensis, Ter-  
rarum Rostochii atque Stargardiae Dynastae,*

DOMINI ET NUTRITORIS MEI  
LONGE CLEMENTISSIMI,

PUBLICIS, SOLENNIORIBUSQUE ORATIONIBUS,

CRAS V. D. d. 15. Maji, A. 1748. POST HORAM III. POMERID.

IN GYMNASII DUCALIS AUDITORIO MAJORI  
PIE RITEQUE CELEBRANDO,  
HUMILLIME RECOLEBAT, ET


PATRES utriusque REIPUBL. atque

QVOSVIS LITERARUM FAUTORES,  
UT CUM GRATIA AD EASDEM BENEVOLE AUDIENDAS

CONFLUERE VELINT FREQUENTES,  
OFFICIOSISSIME ET OMNI CULTU

INVITABAT

M. DAVID RICHTER,  
GYMN. GUSTROV. RECT.



GUSTROVÆ, Typis Johannis Gotthefi Fritziü, 1748.

*Serenissima Principi  
LUDOVICAE FRIDERICAE*



*[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'CHRISTIANI' and 'UNIVERSITATIS']*



*[Faint handwritten text in the lower left corner of the page.]*

EIN HIRTE  
EINE HEERDE.



t fidem faciamus, meam, quam olim adornavi  
*Bibliothecam Historicam de Rebus Meclenburgicis*, nec a Scriptorum copia profus  
inane, nec sine omni consilio aut temere  
conlectam atque digestam fuisse, Libri ejus-  
dem I. caput XIV. quod *CHRISTIANUM*  
*LUDOVICUM* exhibebat, in iis modo forulis atque loculamen-  
tis, quæ spicilegii rationem habere possunt, sollicitare placuit.  
Tria vero præcipue curabo momenta, quæ Optimi Principis  
Nativitatem, Conjugia & Foedus cum Principibus S. R. J. con-  
cernunt, si per plagulæ terminos modo licuerit. Sed ab initio  
erit ordiendum. Quin communi totius Patriæ lætitia A. 1623.  
cal. Decembr. natus Princeps fuerit exceptus, nequaquam du-  
bito, quia Exterorum quoque accendit pietatem. Hinc *Ge-  
netbliacon Illustrissimi Principis, ADOLPHI FRIDERICI,*  
*Ducis Megapolitani Primogenito Filio scriptum*, Lubecæ 1624.  
in 4to edidit Celeberr. *KIRCHMANNUS*, Rostochiensibus  
quondam Professor datus, a Seren. Duce *CAROLO*, cui etiam  
A. 1605. *Gratulationem cum S. P. Q. Rostochiensis homagium*  
*ipsi præstaret, scripsit.* Cum per peregrinationes in regna ex-  
terna usum vitæ sibi comparare studeret *Christianus*, Viennæ  
coram



coram Imperatore A. 1653. d. 18. Maj. palam negavit, se suas literas A. 1641. d. 31. Octobr. Patri suo datas, ( *Reversales* vulgo appellare solent, & in *KLUVERI Descript. Meclenb. Part. 3. Sect. 2. p. 279.* leguntur) porro habiturum ratas, a Parente quippe ante pubertatis annos sibi extortas, neque se mutationi prioris Testamenti Paterni unquam adfensurum. Has literas, quas Imperii Tabulis inferi apponi que petierat, conservatas debemus locupletato *KLUVERO* Parte 3. ejusque Sectione altera p. 285. Posterioris Testamenti Paterni A. 1654. d. 31. Octobr. conscripti vero tabulas integras adjecit calci Libri sui *de Caute- lis Testamentorum*, communis Pater atque Oraculum hodie- norum Jctorum, Summus *STRYKIUS*, p. 144. 175. Prioris vero Testamenti quaedam legi possunt in *KLUVERO* laudato.

Rerum post b. Parentis obitum A. 1658. potitus, lace- rum sui Ducatus reperiebat statum, quia non solum misero fa- tali que bello tricennali avitæ provinciæ erant defunctæ, sed per varias quoque illius calamitates, admodum exhaustæ. Dome- sticis præterea fluctibus ita quoque jactatus exercebatur, ut ne- mo Principum magis extrema tori larisque sustinuerit mala. Constat quippe inter omnes, Optimum Principem, irata sem- per Junone, utrumque iniisse conjugium discors. Cum enim ob pacta dotalia, bona que paraphernalia inter Serenissimum prius Par Conjugum crebra incidissent jurgia, hinc benevolen- tia semel abrupta, nullo unquam fido affectu coaluit. Neque videbat Ser. Princeps, quomodo ex his se expediret difficulta- tibus feliciter, quia Serenissima Conjunx, delegatum a Se ju- dicium rejiciebat, publicis scriptis suam strenue agens causam. Nondum etiam *THOMASIVS* aliquis extiterat, qui Jura Prin- cipum Evangelicorum ex Instrum. Pacis in pleniorum pro- traxisset lucem. His ergo rebus factum fuit, ut *CHRISTIA- NUS* ita ad extrema prolaberetur, ut, quia Papa *ALEXAN- DER VII.* prius conjugium pronunciaverat irritum, sacra Pon- tificiorum A. 1663. d. 29. Octobr. Parisiis publice professus, no- vam viduam *Ducis de CHATILLON*, ibidem duceret. Ipse  
Impera-

Imperator, quod multis mirum videbatur, Pontificis sententiam pronuntiavit haberi que voluit legitimam, reclamantibus licet Serenissimis *CHRISTIANI* Fratribus, Patrueli atque deferta uxore, & tandem quoque Ordinibus Protestantibus. Scripta huc spectantia congescit eximia diligentia, egregium S. P. Q. Rostochiensis lumen atque ornamentum, Dn. D. NETTELBLADT, Fautor noster æstumatissimus, in sua *Notitia Scriptorum Ducatus Megapolitani* ita tamen, ut ex Dn. Casp. Frid. STORCHII disp. Inaug. *de Divortio præsertim Personarum diversæ religionis Illustrum in Germania*, sub præsidio Marpurgens. Antecessoris, Cel. Dn. ESTORIS, A. 1747. m. Novembr. habita, gratisimæ ex cap. 6. §. 60. hauriri possint accessiones atque supplementa. Mirifice etiam hanc causam Ser. Ducis *CHRISTIANI* illustrat omnem.

Uerum enim vero, diu jam ante, hanc mente agitaverat, quam perfecit A. 1663. religionis mutationem *CHRISTIANUS*. Non enim casu aliquo, sed deliberato factum judicabimus consilio, quod jam A. 1661. frequentes lateribus Ser. Principis adhæserint Papicolæ Clerici, paratissimi apostasiæ artifices & callidissimi eandem promovendi architecti, quibus, cum patenter aures Principis patulæ, facile fuit, grata suggerere Principi quæcunque. Ne vero temere avitam Lutheranorum confessionem abjecisse videretur, hoc nuditati causæ suæ folium, obducendum arbitratus est, ut ex more Principibus, religionis mutationem molientibus, perquam familiari, Colloquium ter institueretur, suum inter D. KORTHOLTUM, & tres Pontificios ex Austro, Hesperia atque Eoo accersitos. Horum vero trium Colloquiorum, cum nullam ab Historicis Meclenburgicis, factam vidi fuisse mentionem, plenius eandem ex program. funebri Kortholtiano, quantam quidem nobis retulit Petrus BAYLIUS in suo *Diction. Hist. Crit.* voce, Kortholt, nota (A) edocebo, quia distinctius & loca habitarum disputationum, & temporis seriem nos docet, quam b. M. Joach. LINDEMANNI *Oratio in obitum Kortholti, sui Soceri, Rostochii*

chii habita, & Decadi Vtæ Memoriar. Theologor. Cel. PIPPIN-  
 GII, p. 571-597. inserta. Hæc autem Kiloniensis Program-  
 matis apud BÆLIUM sunt verba: A. 1661. a Serenisimo Duce  
 Meclenburgico, Christiano, Principe, eruditione, facundia, co-  
 mitateqve singulari prædito, per Cancellarium Ejus, D. Chri-  
 stoph. KRAUTHOFIUM invitabatur in aulam Sverinensem ad  
 colloquium cum Pontificio Austriaco EGGEFELDIO, viro qui-  
 dem docto, sed admodum supercilioso, de religionis negotio ha-  
 bendum, quod in conspectu multorum Aule Procerum, ac pe-  
 regrinorum etiam, qui forte tunc aderant, institutum, ac postero  
 die cum alio Pontificio ELLERNISKIO continuatum est Stin-  
 chenburgii, ipso Principe præsentem, qui eum illuc accersitum  
 clementerqve acceptum, toto ocliduo secum retinuit. A quo &  
 sequenti Anno 1662. denuo ad certamen cum Pontificio quodam  
 Parisiensi, cui nomen DU BUISSON erat, ibidem instituen-  
 dum, provocatus comparuit, in eoqve de gravissimis religionis  
 controversiis cum omnium applausu per aliquot dies disputavit.  
 Invenerunt ergo non Hæreticum, sed Herculem, Pontificii, jam  
 ex variis contra se, & præsertim adversus Timotheum Lauben-  
 bergerum, Apostatam, A. 1659. & 1660. editis Scriptis, satis  
 cognitum, cui si clavam extorsissent suam, taciti ignobilesqve  
 se non subduxissent. Hoc vero adeo non dissimulavit Joh.  
 Petr. NICERON dans ses *Memoires pour Servir a l' Histoire  
 des Hommes illustres* Tom 31. ut ex veritatis vi coactus, levi  
 saltem digito harum meminerit disputationum, confessusqve  
 fuerit, p. 48. a Rostoch il Signala 1660. son Zele pour la Religi-  
 on Lutherienne en trois disputes qu'il eut avec des Catholiques.  
 Locum itaqve, annumqve, NICERON mutavit habitatum dispu-  
 tationum, secutus forsan Orationem Lindemanni Rostochien-  
 sem, modo memoratam.

Veniamus tandem ad Ser. CHRISTIANI LUDOVICI I.  
 foedus, cui occasionem dedit hic ipse secularis annus 48, vulgo  
 Pacificatorius appellatus, quemqve ut primum, eumqve Im-  
 peratorium, merito, sed cultu humillimo, nec sine læto omi-  
 ne,

ne, secundisque, quod ajunt, avibus, ex omni animo gratu-  
lamur Clementissimo *TITO Meclenburgico*, nostro *CHRISTI-  
ANO LUDOVICO II.* Quemadmodum enim hic annus Ger-  
maniae, imo Europae universae superiori seculo salutaris fuit per  
pacem, d. 27. Jul. a *VOLMARO*, Caesaris Legato, in curia  
Osnabruggeri praelectam, & d. 24. Octobr. a singulis Imp. Ger-  
manici Membris subscriptam, ac d. 23. Decembr. ratam habi-  
tam; ita novam latioremqve induit quoque faciem orbis pro-  
pemodum totus. Prius vero quam singula in eam redigeren-  
tur formam, quam A. 1624. ineunte habuissent, ipsaque pax  
Westphalica firmaretur, sexennium fere effluxerat. Tandem  
A. 1654. comitia Imperii nostri Germanici universalia, decan-  
tatissimum illum Recessum Imperii nobis Ratisbonae excluderunt,  
praeter caetera §. 180. imperantem, daß Land-Cassen, Untertha-  
nen und Bürger, zur Besetz- und Erhaltung der Einem oder an-  
dern Reichs-Stände zugehörigen nöthigen Bestung, Pläzen und  
Gvarnisonen, ihren Landes-Fürsten, Herrschaften und Obern  
mit hülflichem Beytrag gehorsamlich an Hand zu gehen schuldig  
seyn sollen. Hunc arctiorem, Pacem Westphalicam exseqven-  
di, modum, multi Principes optaverant laxiorem, ita ut Impera-  
torem quoque adirent, extensivam, quam vocant, interpre-  
tationem hujus vexatissimi §. 180. Und gleichwie ab eodem pe-  
tentibus. Sed spes, quam conceperant, valde eos fefellit. Tan-  
tum enim aberat, ut mitiorem, suisque rebus inservientem aut  
proficuum impetrassent sententiam, ut restrictivam potius A.  
1670. reportaverint interpretationem. Extat haec Caesarea Re-  
solutio, Kayserliche Resolution über die verlangte Extension des §.  
Und gleichwie &c. des Reichs Abschieds de A. 1654. die Collecta-  
tion der Unterthanen betreffend, de A. 1670. in Dn. Jo. Jac.  
SCHMAUSEN *Corpore Juris Publici Academico*, p. 1405. edit.  
2da. Male hoc habuit multos Principes, & nostrum quoque  
*CHRISTIANUM LUDOVICUM I.* Foedus proinde  
mutuum, idque quintuplex inierunt, 1. *MAXIMILIANUS  
HENRICUS*, ArchiEpiscopus Coloniensis, 2. *FERDINANDUS  
MARIA*

MARIA, Elector Bavariz, 3. FRIDERICUS WILHELMUS, Burggrafius Brandenburgicus, 4. PHILIPPUS WILHELMUS, Comes Palatinus Rhenanus & 5. CHRISTIANUS LUDOVICUS, Dux Meclenburgicus, Ratisbonæ A. 1671. d. 6. Jun. ut supra dictam §. 180. Recefius, conjunctis tuerentur viribus, his inter alia usi verbis: Nachdem der §. 180. seine abhelfliche masse noch zur Zeit nicht erlanget, auch ob und wie bald es zur Nichtigkeit gedeihen möchte, zweifelhaftig scheinet, und Sie beständig dafür halten und behaupten, ihre Landstände und Unterthanen seyn schuldig und pflichtig, die Mittel zur Unterhaltung der Bestungen und Verpflegungen, der Gvarnisonen ohne Weigerung und Renitens beyzutragen, als haben die obgemeldete Churfürsten und Fürsten zu wirklicher Maintenirung und Gvarantie desjenigen, so Ihnen in solchen Fällen durch die Reichs Constitutiones und Westphälischen Friedensschluß bestätigt und gegeben worden, mit einander vereinbahret und verbunden. Ne quis etiam suspicaretur, sententia Cæsareæ hoc foedus inimicum esse aut adversari, palam pluribusque negant §. 16. illud in *offensionem Alicujus* ictum fuisse. Integras hujus Foederis Tabulas debemus meritissimo locupletati KLÜVERI Amplificatori, qui easdem Parti suæ Quartæ p. 137-148. inseruit, neque dubito quin Tabularium Sverinense Ducale pleniorum notitiam historicam, & præsertim ea Integra Acta, quæ in comitiis Ratisbonensibus publice hujus causæ ergo ventilata & discussa illo tempore fuerunt, suppeditare possit. Quam vero utilitatem & auxilium Serenissima Domus Meclenburgica ex hoc foedere aut expectaverit, aut hauserit, nolo tangere, nec pluribus exponere, quia lætiora sunt referenda.

Per DEI enim T. O. M. gratiam prædicare possumus felicem ter & amplius, *Serenissimum & Præcellensimum Ducem, Dominum CHRISTIANUM LUDOVICUM II. Ducem Regnantem Meclenburgicum, Principem Vanda-*

Vandalia, Sverini & Raceburgi, Comitem quoque Sverinensem, Terrarum Rostochii atque Stargardiae Dynastam, Dominum & Nutritorem meum longe clementissimum, & Serenissimo Patruo suo, glor. mem. tanto feliciorum, quanto apertius in proptulo est, Eundem extremis tori larisque felicitatibus perfrui & gavifum fuisse. Non solum enim una tori Ducalis foecia, *GUSTAVA CAROLINA*, incomparabilis Ducis *GUSTAVI ADOLPHI* Neptis, Ipsi suffecit, clementissimaque Patriae nostrae Mater data, sed per eandem Fortunatorum quoque numero fuit adscriptus. Vivit, quae Dei est clementia, Serenissimus Princeps, & ita vivit, ut lato omnes ore *ILLI* applaudere possimus & illud Hieropsaltis acclamare: *Beati omnes qui timent Dominum* &c. Faciat itaque *JEHOVAH*, per quem Reges regnant & Domini dominantur, ut Almus Patriae Pater videat quoque *FILIOS FILIORUM SUORUM*, *pacem super Israël!* Aucta fuit firmataque haec Tua, o clementissime Princeps, felicitas, quod a Deo *TIBI* Terris quoque *TUIS* datum agnoscis Serenissimum Principem Juventutis Meclenburgicae, Dn. *FRIDERICUM*, & Serenissimum Principem, Dn. *LUDOVICUM*, in spem afflictam, atque aliquando erigendam, Patriae natos factosque. Rarum profecto & inestimabile Dei donum atque beneficium, quod Serenissimae Domui *TVAE* Ducali Meclenburgicae ultra seculum fere fuit invisum atque inauditum, quodque quotidianis precibus Deo sanctissime commendare, fas erit. Quidni enim supplices veneremur tantum cimelium, quod, ut, si non perpetuum, ast certe diuturnum sit Genti Meclenburgicae ornamentum Dignitatis & praesidium stabilitatis, omnium vovent suspiria? Novum suo Soli, Caeloque Meclenburgico adjiciunt quoque splendorem Tria illa fidera Serenissimarum, Nurus, Filiarum & Sororum, Serenissimae nempe Principes, *LUDOVICA FRIDERICA*, lato omnine faustissimoque nomine & Ser. Socerum & Ser. Maritum complexa, *ULRICA SOPHIA* atque *AMALIA*. Negari equidem nequit, quod Serenissimus etiam *CHRISTIANUS*

B

LUDO-

**LUDOVICUS II.** valde luxata repererit Provinciarum  
 suarum robora, cum per quinque fere lustra, divisum cum Cæsare,  
 vel commissum potius ab Cæsare, tenuit imperium; ast per DEI  
 folius gratiam **LUDO VICIT CHRISTIANUS** solusque  
 nunc regnat, suis Ser. Fratribus, & Augustissima Sorore, unus su-  
 perstes. Videt, imo studio, quanto potest, maximo, allabo-  
 rat, ut omnia, quæ dilapsa jam effluxerant, amicis vinciat le-  
 gibus. Omnia namque sunt excitanda IPSI, quæ jacere sentit  
 civilium dissensionum tricennalium impetu, quod fuit necesse,  
 percussa atque prostrata. Constituit judicia, revocabit etiam  
 fidem toties labefactatam, omniaque ita curabit, DEO adju-  
 vante, vulnera, ut iisdem præter SE mederi nemo possit. Hæc  
 fuerunt hilaria mea, quæ meam, hoc lætissimo Natali aluerunt  
 obsequii religionem, per publicos interpretes mox declarandam.  
 Prohibent enim D. V. cras post horam III. pomerid.

*Ornatissimi, lætiorisque spei, Juvenes, plane com-  
 mendabiles*

**I. HENRICUS CHRISTOPHORUS FIDLER,**

*Teteroviens.*

qui prima suæ eloquentiæ pericula facturus, Latinæ Orat. ar-  
 gumentum selegit: *Galeam Mediam, in Insigniis Meclen-  
 burgicis.*

**II. CAROLUS GEBHARD. THEODOR.  
 WALTER,**

*Neostadiens. Meclenb.*

Humillime enim gratulatus Serenissimo Duci & universæ Pa-  
 triæ, Ser. Principem Juventutis Meclenburgicæ, verba fa-  
 ciet ex Cæsarum historia, *de Principe Juventutis.*

Placeat itaque TIBI, Indulgentissime Pater Patriæ, hæc  
 nostra, humillimi obsequii & congratulandi, religio, nobisque sup-  
 plici-


plicibus hanc largire veniam, ut, quoniam tristissima fata ex acerbo dolore Dilectissimæ Matris Patriæ nostræ, gaudium superavit ex Tua incolumitate ad Subditos universos redundans, binos modo ex coetu nostro excitaverim Oratores. Indulgebimus Tecum iustissimo dolori, ita tamen, ne moestitiæ succumbamus, sed faustam Desideratissimæ & Serenissimæ Conjugis fecunditatem, subiectissimo respicientes cultu, gratisimo celebremus animo, ardentissimis præterea expetitur precibus, ut diu lætus inter sis Tuo populo, nec, nisi ferus in cœlum redeas, summasque ex Serenissima Gente Tua, quam circumvolant jocus & ipsæ Veneres, capias voluptates. Angimur profecto, & sæpe vehementer dolemus, quod, cum Tua Gens immortalis esse debeat, eam aliquando in Vnius mortalis anima consistere, senserimus, quod repetitis jam experti simus vulneribus. Non vero dies leniat, nec Temporis longinquitas mitiget, dolorem squaloremque TVVM, sed divinum, quod omnibus præstat Philosophorum consolationibus, solatium. Gratiofissime autem nobis ignosces, quod CHRISTIANO, qui LUDO multa aspera jam VICIT, medicas porrigere manus sustineamus. Oblivionem enim communis luctus quærentes, hunc ipsum longius produximus Sermonem.

Hinc *PRÆSIDES ET SACERDOTES, utriusque JUSTITIÆ*, Sangvinis Nobilitate, Doctrinæ ubertate, Munerum Dignitate, Meritorumque eximia gloria, perquam inclytos præstantissimosque, humanissime, vel omni potius pietate, oro atque obsecro ut Oratorum dicendi studium alatis, benevolasque præbeatis præsentis, aures, atque frequentes & cum gratia confluatis. Meeum dabunt omnem operam, ut tantam benignitatem quovis obsequii & observantiæ cultu atque alacritate, non solum gratisimo venerentur animo, sed ad quemvis etiam inserviendi nutum, inveniatur paratissimi obsequentissimique.
















De Riddagshausano coenobio autem hæc traduntur. Dies  
 Kloster hat einen Abbet gehabt und eine feine Schule, darinnen  
 12 Knaben mit aller Nothdurft unterhalten, und in Logicis stu-  
 diis durch einen Magistrum, welchen der Abt besoldet, institui-  
 ret werden. Solcher Kloster-Schulen seyn 6. im Lande  
 schweig, in unterschiedliche Classes abgetheilet, durch w  
 Stipendiaten ordentl. geführet werden, bis man sie ent  
 der Universitæt nach Helmstädt mit Nuß verschick  
 Cum deinde turbulentum *Brunsvicum*, mox vero Gv  
 tum adiiisset, in secessu vicino *Zessen* ab Avia sua te  
 receptus & per 9 dies retentus fuit. Amoenitates aut  
 fementes, dictaqve Monasteria latius enarrabunt Auto  
 Baringium reperiundi.

§. 7.

Hessemo die 4 Martii discedebatur, reliquaque  
 stadio, Schanderslebiaque, *Halam*, intravit, ubi d.  
 præter alia, salinas quoque vidit, de quibus ita: D. M  
 Bericht nach, sollen die Salz-Roten jährlich 2 Tonnen  
 tragen. Doch wird eine wieder auf die Unkosten g  
 Von der andern muß man dem Hrn. Bischof ein gena  
 richten, welcher das Feudum 123 Häusern verleihet.  
 vero de his Salinis Scriptorum nubem collegit Clar.  
 SIGIUS, plenior sine dubio dabunt notitiam in *Bt*  
*xon. Super.* p. 941. In templo Cathedrali Halensi  
 runt Epitaphium D. Mosmanni, ex unica sua uxore  
 liberorum Parentis facti, cujus πολυγενίας alia plurac  
 peditabant exempla, *STISSERUS ad Sirac.* 16. p. 17  
*CARTUS Observat. Hist. Polit. Decad. II.* p. 286 - 2  
*Jac. THOMASII, Oratt.* p. 121. *LANSII Consult.* p. n  
 omittam *STEPNERUM in Inscript. Lipsiensibus: A*

